

Akt II, Szene 2 = V. 333 – 350

**MEN.** iamne abiit < ... > edepol haud mendacia

tua verba experior esse. **MESS.** observato modo:

nam istic meretricem credo habitare mulierem,

335

ut quidem ille insanus dixit qui hinc abiit modo.

**MEN.** sed miror qui ille noverit nomen meum.

**MESS.** minime hercle mirum: morem hunc meretrices habent:

ad portum mittunt servulos, ancillulas;

si qua peregrina navis in portum advenit,

340

rogitant quo iatis sit, quid ei nomen siet,

postilla extemplo se applicant, adglutinant:

si pelleixerunt, perditum amittunt domum.

nunc in istoc portust navis praedatoria,

aps qua cavendum nobis sane censeo.

345

**MEN.** mones quidem hercle recte. **MESS.** tum demum sciam

recte monuisse, si tu recte caveris.

**MEN.** tacedum parumper, nam concrepuit ostium.

videamus qui hinc egreditur. **MESS.** hoc ponam interim.

adservatote haec sultis, navales pedes.

350

Akt II, Szene 3 = V. 398 – 405

**ER.** pallam te hodie mihi dedisse uxor is. **MEN.** etiam nunc nego.  
ego quidem neque umquam uxorem habui neque habeo neque huc  
umquam postquam natus sum intra portam penetravi pedem. 400  
prandi in navi, inde huc sum egressus, te conveni. **ER.** eccere,  
perii misera: quam tu mihi nunc navem narras? **MEN.** ligneam,  
saepe tritam, saepe fixam, saepe excussam malleo;  
quasi supellex Pellionis, palus palo proxumust.

**ER.** iam amabo desiste ludos facere atque i hac mecum semul. 405

Akt II, Szene 3 = V. 434 – 445

**MEN.** habeo praedam: tantum incepi operis. i quantum potes, 434-435  
abduc istos in tabernam actutum devorsoriam. 436  
tum facito ante solem occasum ut venias advorsum mihi.

**MESS.** non tu istas meretrices novisti, ere ... **MEN.** tace, inquam < ... >  
mihi dolebit, non tibi, si quid ego stult<e> fecero.

mulier haec stulta atque ins<c>ita est: quantum perspexi modo, 440  
est hic praeda nobis. **MESS.** Peri<i>, iamne abis? periit probe:

ducit lebум dierectum navis praedatoria.

sed ego ins<c>itus, quid < ... > postulem moderarier:

dicto me emit audientem, haud imperatorem sibi.

sequimini ut, quod imperatum est, veniam advorsum temperi. 445